



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

TIT. XXXV. DE CLERICO EXCOMMUN. &C. 295
mittitur, *c. ex pœnitentibus. dist. 50. c. quicumque. dist. 51.*
c. 1. de bigam. privata indicitur. Puniuntur & Blasphemii
pro modo facultatum pœnâ pecuniariâ. d. c. 2. §. fin. hic.

Propter quàm jurium, & ob circumstantiarum varietatem, communis Doctorum opinio est, blasphemix pœnam esse extraordinariam: & proinde judicem pro facti & personæ qualitate eam posse indicere. *Decius conf. 163. num. 1. Covarruv. c. quamvis. part. 1. §. 7. num. 13. de pact. in 6. Abb. & cateri, in c. 2. hic.*

*De Clerico excommunicato, deposito,
vel interdicto ministrante.*

TIT. XXXV.

Quartum delictum in Clerico est, *Si ministret, cum ministrare certas ob causas non debeat.*

Causæ eæ sunt quatuor. Quarum prima est, *si sit excommunicatus, vel depositus, vel interdictus.*

Si excommunicatus, aut interdictus, ministrat, deponitur; *c. 1. 3. & 4. hic.* & Si majori excommunicatione teneatur, per tres continuos annos pœnitentia ei imponitur; *c. fin. 11. qu. 3.* beneficio privatur; si monitus à ministrando non desistat, ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur: *c. si quis. c. clerici. c. latores. hic.* Si minore excommunicatione tantum ligatus ministrat, graviter quidem peccat; nullius tamen irregularitatis notam incurrit: peccat etiam, Ecclesiastica Sacramenta si conferat; collata licet effectu non careant; quia non à collatione, sed à sola sacramentorum participatione, quæ in sola consistit perceptione, videtur remotus. *c. si celebrat. c. fin. hic.*

Clericus, qui ab officio suspensus, aut depositus, nihilominus ministrat, excommunicatur: *c. 2. hic.* & quidem excommunicatione perpetua. *c. accedens. 10. dist. 50.*

Sed hæc intellige si sciant, se excommunicatos, suspensos, depositos; non si, illud ignorantes, ministrent: Quo casu, si ignorantia est probabilis, irregularitatem non incur-

currunt: incurrunt, si ea sit supina; dispensatione tamen Pontificis eâ liberantur. *c. illud. 5. c. Apostolica. 9. hic.*

De Clerico non ordinato ministrante.

TIT. XXXVI.

Secunda causa est, *si Clericus non sit ordinatus.*

Is si nihilominus ministerium ordinis, quem non consecutus, exsequatur; ab Ecclesia dejicitur, & nunquam ordinatur. *c. 1. hic.*

Sic qui Diaconus tantum est, si Missam celebravit, ad sacerdotium, sine dispensatione, *Gloss. ad. c. fin. verb. promoveri. eod.* non promovetur, & à Diaconatu ad tempus suspenditur; sed in beneficio, si habet, ad tempus dispensari poterit, ne sustentatione privatus, ad seculi negotia revertatur. *d. c. fin. eod.*

Ob quam rationem etiam ob homicidium ab officio suspenso beneficium reservatur. *c. studeat. 39. dist. 50. c. Presbyterum. dist. 28.*

De Clerico per saltum promot.

TIT. XXXVII.

Tertia causa est, *si Clericus non gradatim, sed per saltum*, id est, à minori ad majorem omisso medio: ut ad Diaconatum ante Subdiaconatum, Presbyteratum ante Diaconatum, *sit promotus.*

Quæ ordinatio non valet; Undè si scienter promotus ministrat, ut Clericus qui non ordinatus ministravit, punitur: Si ignoranter, suspenditur ab executione suscepti, donec peractâ pœnitentiâ ad omissum fuerit ordinatus. *c. un. hic. c. unico. dist. 52.*

Quæ pœnitentia censetur arbitraria; quia jure non definita. *c. non satis. de offic. deleg.*

Dixi *ab executione suscepti*; quia ordo, ab eo qui ordinandi potestatem habet, quomodocunque sive per gradum, sive